



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

31. An Regulæ Cancellariæ obligent in omnibus Prouinciis, & in foro
conscientiæ? Et quid de stylo Curiae, an obliget, & imponat necessitatem,
vt in aliis Curiis & Tribunalibus Ecclesiasticis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

RESOL. XXXI.

An Regula Cancellaria obligent in omnibus Provinciis & in foro conscientiae?

Et quid de stylo Curiae, an obliget, & imponat necessitatem, ut in aliis Curis, & Tribunalibus Ecclesiasticis observetur?

Et an Regula Cancellaria non sint proprie leges, & ideo spirant mortuo Pontifice, donec a Successore confirmentur, ita ut Ordinarii possint conferre Beneficia vacantia, etiam in mensibus Pontificis reservatis, donec huiusmodi Regula fuerint a Successore confirmata: Ex p. 10. tr. 13. & Misc. 5. Ref. 7.

§ 1. **A**d primum dubium sic respondet Lessius in Aulario casum conscientiae post princ. 2. D. Thome ver. beneficium, cas. 3. n. 5. Probabile est Regulas Cancellariae Romanae non obligare in externis Provinciis, nisi sint ibidem promulgatae & receptae. Primum, quia id est probabile de aliis constitutionibus Pontificis, & Conciliorum, cum non etiam de Regulis Cancellariae. Antecedens docet Angelus V. lex. n. 13. Sotus l. 1. de iustitia, q. 1. art. 4. Caietanus, & Barth. Medina l. 2. q. 9. alique recentiores non pauci. Secundum quia istae Regulae potius pertinent ad Iudices Cancellariae & Rotae, ut secundum eas Romae causas beneficiarias decidat, quam ad totius orbis beneficiarios, ac proinde non obligant eos ante sententiam Romae latam. Quod confirmatur, qui ante Ioannem XXII. nullae erant Regulae scriptae secundum quas iudicaretur, sed solum consuetudo, & praxis, teste Ludouico Gomez, in Regula Cancellariae in principio, quod signum est eas non pertinuisse ad alias Provincias. Quod ipsum etiam nomen Regulae indicat: Dicuntur enim Regulae Cancellariae, quod secundum eas Cancellaria Romana dirigi debet. Quare non videntur alios Iudices Ecclesiasticos in conscientia obligare. Tertio si istae Regulae obligant in foro conscientiae, deberent ubique extare, & curandum esset ut in omnium Ecclesiarum, & Capitulorum devenirent notitiam, quod non fit. Item quando aliqua vel reuocantur, vel per non vsum obsolescant, deberet id ipsum omnibus innotescere. Hucusque Lessius. Et non desera hic apponere verba Iosephi Rocafulli, in praxi Theolog. Moral. tom. 1. part. 3. lib. 7. sect. 1. c. 6. n. 43. ubi sic ait: Praeter praedicta habent vim legis Regulae Cancellariae, quae sunt quaedam temporalia statuta durantia durantiis statutis Pontificis vitam, & per illa disponuntur pleraque, quae pertinent ad stylum, & Iudiciorum ordinem, & nonnulla Pontificis solius dispositioni reservantur. Ac de istis quidem Regulis quamvis plura Iurisperiti disputent, tamen in Theologo, vel solum, vel principaliter discutendum est an obligent in foro conscientiae. Cui dubitationi respondeo negativum cum Valero in differentiis vtriusque fori, verbo Donatio, differ. 6. n. 2. & Henriquez in summa, tit. de Indulgentiis, c. 30. §. 7. in Glossa littera R, & Diana 1. p. tract. 10. resol. 43. Et ratio est, quia istae Regulae sunt pro foro exteriori traditae, ut pote iudiciales, ut notat Gomez de Regulis Cancellariae in principio. Nota vero, quod casu, quo obligent Regulae Cancellariae, non obligare in vi legis scriptae, sed in vi consuetudinis, & styli Curialis, qui quidem stylus, & vltus ex consensu Principis est illarum promulgatio. Unde non obligant antequam tempus curat consuetudini inducenda necessarium. Ita Rocafulli. Notat etiam Merolla 10. 2. disp. 4. c. 3. dub. 17. n. 134. Regulas Cancellariae non esse proprie leges, ut bene inquit Felin. in c. ex part. n. 49. de rescript. quia expirant mortuo Pontifice, donec a Successore confirmantur, ut patet ex eorum praefatione verb. suo tempore, & ideo Ordinarii possunt liberè conferre Beneficia vacante

Quae hic est infra in c. 7. Ref. 4. à lin. 6. & ver. In foro vero interiori, & laussum in Resolutionibus & §§. annot. seq.

etiã in mensibus Pontifici reservatis, donec eiusmodi Regulae fuerint a Successore Pontifice confirmatae, ut docent Gomez in praef. ipsarum Regularum. Rebuff. in praef. benefic. addit. ad Regu. Cancell. in princ. & postea, in Glossa, verbo suo tempore. Aufredus decis. 445. ad Capell. Tholos. Addit Rebuff. in Gloss. cit. verb. ex tunc, publicari in Cancellaria, & obligare scientes à die publicationis, ignorantem verò post duos menses, nec esse necessarium alibi promulgari, quia solum sunt instructiones datae à Pontifice pro Officialibus Cancellariae. Et omnia superius dicta de mente supradictorum Doctorum dicta esse volo. Et vide Tondutum in qq. legalium c. 109. n. 12. qui sic ait: Regulae Cancellariae extractae ex rationibus iuris naturalis, Ciuilibus, vel Canonici, habent vim legis, & ligant omnes (sicut ratio legis etiam si non fit regula) & sunt seruandae, & omnes ligant.

2. Sed quid dicendum de stylo Curiae? Rocafulli 10. 1. lib. 6. de lege humana, c. 7. dub. 4. sic ait: An stylus Curiae Romanae obliget, & imponat necessitatem, ut in aliis Curis, & Tribunalibus observetur? Respondeo non obligare extra Curiam Romanam, Baldus, Gomez citati à Fagundez l. 8. in praefata Decalogi c. 10. n. 9. nisi confirmatus sit speciali constitutione Papae, ut docet Lopus alleg. 5. 2. col. 1. cum enim stylus potest varietur variato Papa, potius iuri scripto adhaerendum est extra Curiam, quam stylo, qui ita facile variatur, nec facile in longinquis terris scitur, & nisi eum tener probetur, non praesumitur, quoniam res facta est. Ita ille, cui etiam adde Praepositum in part. D. Thome, q. 8. de dispensat. dub. 6. n. 41. docentem stylum Curiae respicere forum externum, & non internum. Vide etiam Martinum Perez de matrim. disp. 47. sect. 6. n. 4. afferentem stylum Curiae non obligare extra Curiam, nisi consumetur decreto aliquo Pontificio, Pelizzarius verò in Man. Regul. to. 2. tract. 8. c. 5. n. 195. tenet stylum Curiae non tollere probabilitatem contrariae sententiae, & variari pro varietate Pontificum. Vide Villalobos 10. 1. tract. 2. diff. 123. n. 2. & tract. 14. diff. 27. n. 7. Unde Pater Vidal, in Arcad. Theol. moral. tit. de duello, inquis. 3. n. 22. sic ait: Quidquid sit de hac Penitentiae praxi, & de stylo Curiae Romanae, de quo non nobis constat affirmo cum Hurtado loco citato, §. 101. quod Curiae stylus ad summum tunc vim legis habet, quando datur formale Pontificis praecipuum, non autem quando illud non extat, sed in praesenti non constat nobis de hoc praecipuo; ergo nihil concludit argumentum. Adde primum, quo non omnia, quae ex praxi vigent in sacra Penitentia absolute affirmandum est ita esse, ita ut oppositum sentire, vel agere sit omnino falsum, ut patet maxime, quia stylus Curiae, quando est non scriptus, ex sua natura est varius, & mutabilis, ideo, &c. Adde secundum in Curia Romana teste experientia amplecti omnia etiam plura ad illam ex necessitate non attinentia. Adde tertium, in opinionibus praxi pro vna parte non induci obligationem, ergo neque etiam sacrae Penitentiae praxis, quae est tantum doctrinalis, & non decisiva, ut alibi diximus, inducet obligationem in conscientia ad ita sentiendum. Ita ille, qui postea idem repetit inquis. 4. n. 15. cum segg. & tandem vide Doctores, quos citat & sequitur Leandrus de Sacrament. 10. 2. tract. 9. disp. 24. q. 48. qui aduersum me contrariae sententiae adhaerentem insurgit: Sed ego iterum non recedo à sententia affirmatiua cum Sanchez lib. 8. disp. 21. n. 16. & aliis Doctoribus, quos etiam me citato adducit Leandrus ubi supra.

RESOL. XXXII.

An in Ecclesiis Cathedralibus in quibus adsunt Sacra de puritate Sanguinis, expositi sint admittendi, etiam si Statuta de puritate iuramentum, & sufficientem in orationem exposcant?

Et